Pars I.

Complectens milites de Au, sub titulo Burgthorer Ratisbonae degentes.

1.) Circa annum 1130. Ex codice traditionum originali San-Emmeramensi, Fol. 128.

Presentibus atque futuris denunciamus, qualiter quidam prepotens vir, nomine Walchoun consentiente Suuanehilde uxore sua predium quoddam proprium et hereditarium Cliheim et Heide situm per manum Liutuuini, filii Mahtines sui comparis super aram sci Emmerami delegavit, ac fratribus ibidem Deo servientibus perpetuo fruendum tradidit, et si cuiquam hominum abbas ejusdem loci concesserit, aureo denario proximi sui heredis redimi sub his testibus constabilivit: *) Otto prefectus, Aribo tribunus, Escuuin de Ahusen, Oudalric de Purgetor, Heinrich et frater ejus Pernolt, Oudalrich de Lerindorf, Gotescalc et Gerolt ministeriales prefecti, Karolt de Tunauue, Otto predicte matrone consobrinus, et filius Chounradi Chazpizzes, Hagano ministerialis prefecti, Nitthart et Ernist, Rihwin de Magengoltinge, Sifrit ministerialis prefecti.

2. 1159. Pezii thesaurus Anecdot. T. I. P. III. cap. 147.

Charta redemptionis quorundam servientium sancto Emmeramo. Testes sunt — — Rudpertus de Tunzelinge, — Hartuuich in porta etc. Acta sunt hec anno incarnacionis dominice 1159. Indict. VII. reg.

*) Fol. 159. eadem occurrit traditio, his tamen mutatis verbis: proximus heres prefati viri offerat ad altare sci Emmerami aureum denarium, et antedictum predium sibi vendicet in proprium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nante Friderico Imperatore, Henrico Saxigena Duce, et Hartuuico Pontifice, necnon Heinrico urbis prefecto, tunc Ecclesie sci Emmerami advocato.

3.) Circa annum 1160. Ex cit. Codice tradit. San-Emmeramensi, Fol. 111.

Notum sit omnibus Xpi fidelibus futuris et presentibus, qualiter duo quidam censuales sci Emmerami erant inbeneficiati Mengozo militi de Sunechingen: is itaque a Pertholdo abbate houbam unam ad Strazzchirchen jure beneficii suscepit, ac eos ad Ecclesiam sci Emmerami relaxavit, et a se penitus abdicavit; quo de medio sublato filius ejus Oulricus de Sunechingen tanquam heres paternus jus suum voluit illis infringere, pristineque servituti subjicere. Quinque ergo talenta dantes eidem Oulrico, et, ut juri beneficii cederet, impetrantes, iterato se redemerunt; et ne amodo alicui in beneficium dentur, in presentia domini Adalberti abbatis obtinuerunt, ac presentem cartam cum Sigillo ipsius pro testimonio susceperunt, cujus rei testes accesserunt Ortlieb, Perthold, Hartwic de Liethenberge fratres, Oulricus Chargel et Roupertus frater ejus, Hartuuicus in porta, Ulricus Holzenar, Albun.

4.) 1161. Codex Episcopatus Ratisponensis, Tom. I. pag. 235.

Hartuuicus II. Epus Ratisbon. monasterio sancti Emmerami restituit bona in Hebramsdorf ab Antecessoribus suis in beneficium laicis collata. Testes sunt — — Hartwich in porta, et frater ejus Oudalrich, Heinrich de Cholinbach, Heinrich de Egilolfesheim, Bernoldus de Wolfirchoven, Merboto de Swäbiluuis etc.

5.) Circa annum 1170. Pez l. c. cap. 152.

Traditio praedii in Engelbrechtsmünster ad monasterium S. Emmerami. Testes sunt: Ditricus de Hahsinakker, Heinricus frater ejus, Oudalricus de Pentelingen et filius ejus Heinricus, Perhtoldus in colle, Gotscalc pincerna, Albanus frater ejus, Hartuuic in porta, Helfrich de Liuterbach etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

6.) Circa annum 1172. Ex Cod. tradit. San-Emmeram. Fol. 177.

Hugo plebanus noster de Walde (hodie Herrnwahl) tradidit per manum Ottonis de Tigin proprii juris ancillam, nomine Mahtild ad altare patroni nri pro censu V. denariorum annuatim solvendo. Testes sunt hi: Geroldus de Tanne, frater ejus Marquart, Irnfrid de Uchenpiunt, Oudalricus de Tigin, Hauuardus villicus de Tanne, Dietericus de eodem vico, Hartuuicus in porta, Oudalricus frater ejus, Gnenlin, Dietericus editui.

7.) Circa eundem annum. Ex eod. Cod. tradit. Fol. 182.

Quidam Canonicus sci Petri (Eccliae cathedralis) Purchard nomine de Liuechin in extremis constitutus tres servos suos, quorum nomina sunt Mathfrit, Reginolt, Walther commendavit in manus duorum Canonicorum ejusdem Ecclesie, dni Hagenonis scilicet, et Oudalrici custodis sci Petri eo pacto, ut post obitum suum delegarent eos pro censu V. nummariorum ad altare sci Emmerami. Mortuo eo predicti Canonici venientes ad scum Emmeramum, prefatos homines per manus suas pro predicto censu ad aram predicti martyris tradiderunt, presentibus custode Durinc, et cellerario Friderico, et cantore Pernoldo cum ceteris fratribus ejusdem loci, et his testibus adhibitis: Mathfrid tonsor, Roudolfus Rouzer, Otnant mercator, Hartuuicus in porta, Chounrad filius ejus, Ekkihart edituus sci Petri, Gnenlin, Perthold, Ditric, Volchemar mansionarii sci Emmerami.

8.) 1178. Ex eod. Cod. tradit. Fol. 180.

Notum facimus omnibus Ecclesie Dei fidelibus concambium, quod factum est inter Peringerum abbatem sci Emmerami confentiente fratrum caterva, et Fridericum cognomine Putrich familiarem ejusdem Ecclesie; habuit enim eadem Ecclesia duas areas juxta pontem, pensantes 72. nummos, prope domum ejusdem Friderici: volens itaque hic ibi edificare venustam domum et cellarium cum testudine, venit in presentiam abbatis et fratrum, rogavitque, sibi easdem areas sub legitimo concambio in proprietatem tradi, quod factum est, retradente eo Ecclesie pro concambio aream juxta macellum, que annuatim persolvit dimidium talentum, supradictas areas ipse accepit ab abbate in proprietatem sibi et posteris suis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Actum anno dominice incarnacionis 1178. presentibus his testibus, Hartuuic in porta, Oudalric Fratre ejus, et Gozuuino.

9.) 1179. Ex eod. Codice tradit. Fol. 186.

Notum facimus omnium universitati tam presentium, quam futurorum, quod quedam libera mulier, Chelin nomine de vico Smidemoul tradidit se ipsam et filiam suam, Liuboue nomine ad aram sci Emmerami absque ulla contradictione pro censu X. nummorum ea conditione, ut predicto censu annuatim dato maiori non subdantur servitio, nec alieno inbeneficientur dominio. Evoluto autem multorum annorum curriculo tempore Peringeri abbatis quidam hujus Ecclesie ministerialis, Heinricus nomine de Priemberg liberos eorum nulla dictante justitia, sed sola arbitrii sui voluntate, vel avaritia cogente infestationibus injuriavit, captivavit, et bona eorum extorsit, qui conventus a Peringero abbate ob eorum infestationem beneficii, ex paterna hereditate — dicebat — predicta mancipia sibi pervenisse, sed nullis testimoniis hec valens comprobare, acceptis ob eodem abbate XIV solidis ab omni impeticione eorum decidit, et in potestatem Ecclesie ad prenominatum censum X. nummorum resignavit anno dominice incarnacionis 1179 regnante Friderico imperatore, sub Chounone Epo, et advocato loci hujus Heinrico Fratre Ducis de Austria Liupoldi. Testes: Werinher de Gibestorf, Ditricus de Hasinakker, Heinricus de Pentelingin, Oudalricus de Hasilpach, Hartuuicus in porta, Oudalricus Frater ejus, Oudalricus Kargil, Hartuuic Frater ejus, Roudigerus de Niunhusen, Fridericus de eodem loco, Gotfridus de Isiningin, Heinricus de Hartigin, Gerhardus de Solerin, Roudiger Frater ejus, Otto de Tigin, Wilehalmus de Tunceligin.

10.) Circa eunden annum. Ex eod. Cod. tradit. Fol. 189.

Quidam ministerialis sci Petri, Gebehardus nomine de Scoeineiche tradidit servum suum nomine Wolferamum ad altare sci Emmerami pro duobus servis ejusdem martyris, quos homines Gebehardi predicti occiderunt, pro censu tali et servitio, quo predicti Fratres, qui occisi erant, obnoxii fuerant. Testes: Oudalricus Holzenare, chouno preco, Bruno de Scoeinhoven, Bruno de Utenhusen, Hartuuic in porta, Oudalric de Pentelingin, Routlieb, Deginhart, Perinhart cementarii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

11. Circa eundem annum. Ex eod. Cod. tradit. Fol. 164.

Noscat omnium fidelium et futurorum et presentium inoblitterata memoria, quod Werenhard miles quidam de Lernbach hereditarius Altmanni de Abensberch, habens partem silvule contiguam Luterbach, et pro remedio anime sue, et insuper novem acceptis talentis et dimidio tum ipse ac mediatores eandem partem silvule Sco Emmeramo dederunt, domino suo presente Altmanno, et domino Perengaro abbate hujus loci, cujus rei testes sunt: Prefatus comes Altmannus, Otto de Tiging et filius ejus Adalpert, Oulricus Holznar, Hertuuic et filius ejus Chounrad in porta, Heinricus et Pernoldus fratres de Tunzeling, Megengoz prepositus ipsius Comitis Altmanni etc.

12.) 1180. Pez I. cit. cap. 193.

Compositio litis inter Perngerum abbatem sancti Emmerami, et Eggibertum de Wihse ac Udalricum de Talmassing fratrem ejus facta anno 1180. Testes, qui affuerunt, hi sunt: — — Nizo de Raitenbuch, Udalricus Kargil, Hartuuicus frater ejus, Otto de Tigin, Udalricus de Pentelingin, Heinricus frater ejus, Ditricus de Hasinakker, Hartuuicus in porta, Udalricus frater ejus, Karolus telonearius etc.

13.) Circa eundem annum. Cod. cit. Epatus Ratisbon. I. 252.

Concessio domus Ratisbonae sitae ad superius monasterium. Testes auribus tracti: Fridericus de Purgetor, Hugo inter latinos, Fridericus prepositus etc.

14.) 1181. Cod. cit. Epatus Ratisbon. I. 254.

Restitutio mancipiorum a Sophia de Abensberg ad monasterium S. Emmerami donatorum. Testes sunt — — Engilpertus Filius Chunradi in porta, et alii.

15.) Circa annum 1182. Ex cit. Cod. tradit. San-Emmeram. Fol. 186.

Notum sit omnibus Ecclesie fidelibus tam presentibus, quam futuris, quod quidam Chounonis Epi Ratisponensis capellanus et parrochianus, Otto nomine de Altentanna in extremis constitutus mancipia sua,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quorum nomina sunt Rudolfus, Mathild, Pertha, Iouta, Meginold filius Perthe, Oudalric filius Mathildis delegavit in manus Altmanni de Egilofsheim ea ratione, ut post obitum ejus pro censu V. nummorum delegaret ad aram sci Emmerami. Eo itaque defuncto, et apud scum Emmeramum sepulto, idem Altmannus rogatu Peringeri abbatis predicta mancipia tradidit in manus Oudalrici Holzeneres simili conditione, ut predictam traditionem expleret, quod idem Oudalricus nil moratus explens, predicta mancipia presente Peringero abbate delegavit ad sci Emmerami altare ea conditione, ut censu V. nummorum annuatim dato ipsi, et posteritas eorum majori non premantur servitio, nec alieno subdantur dominio. Testes delegationis Altmanni: Hartuuic in porta, Otto de Tigin, Heinrich de Pentelingin, Heinricus de Parbigin, Piligrim, Bruno, Luduuicus de Cholenbach. Testes delegationis Oudalrici: Hartuuic in porta, Oudalricus Frater ejus, Otto de Tigin, Heinricus de Pentelingin, Chunrad filius Hartuuici, Gnenlin, Volchemar, Ditricus editui, Reginhard de Niunhusen, et alii.

16.) 1183. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 263.

Monasterio sancti Emmerami per praefectum Ratisb. adjudicatur praedium Grofsratisberg. Testes — — Gebo unterm Guuelbe, Udalric in der grüb, Werinher de Sinzingin, Hugo under den Walhen (inter latinos), Willehalm super danubium, Frideric juxta portam, — Otto de porta, Otto de Tigin, Werinhart miles Vicedomini Udalrici.

17.) 1183. Pez l. c. cap. 172

Traditio mancipii ad aram sancti Emmerami. Testes sunt: Hertuuicus in porta, Udalricus frater ejus, gebolfus filius Hertuuici etc.

18.) 1185. Ex cit. Cod. tradit. Fol. 63.

Quidam sci Emmerami ministerialis Werinherus nomine de Veggin in extremis constitutus, tempore Adalberti abbatis predium et partem montis prope eandem villam aptum ad castellum construendum, quod vulgo Purchstall dicitur, tradidit sco Emmeramo. Procedente tempore sub Peringero abbate filius predicti Werinheri, Chounradus nomine partem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

predicti montis X. solidis vendidit Eberhardo de Abnesperg, qui fossatum circa eum faciens, munitionem in eo construere cepit. Perngerus itaque abbas previdens futura multa ex eadem munitione rebus Ecclesie nostre, que circumjacent, incommoda, datis eidem Eberhardo X. talentis, ut de proprietate ejusdem montis se abdicaret, et per manum Karoli, filii Karoli thelonearii ad aram sci Emmerami delegaret, quod factum est anno dominicae incarnacionis 1185. sub Friderico Imperatore, in presentia Chunradi Epi. Testes Oudalric Holzenar, Heinric Grans, Hartuuic in porta, Hartuuic Kargil etc.

19.) Circa annum 1187. Ex eod. Codice tradit. Fol. 191.

Notum facimus omnium posteritati, quod quedam hujus Ecclesie ancilla nomine Adelheid, que conjuncta erat cuidam sci Petri ministeriali, Hartuuico nomine de Stouphe cellerario Epi, in extremis agens ancillam sue proprietatis predicto viro suo commendavit, rogans, ut eandem ad censum V. denariorum, cujus peticionem post mortem ipsius fideliter et benigne explevit, tradens predictam ancillam ad aram sci Emmerami ad predictum censum V. nummorum, presente Peringero abbate, et advocato Heinrico de Altindorf. Testes: idem Heinricus advocatus, Luduuicus de Stouphe magister coquine Epi, Oudalric Kargil, Hartuuic in porta, Oudalric frater ejus, Heinricus de Pentelingin, et alii.

20. Circa annum 1190. Pez l. c. cap. 162.

Traditio mancipii ad aram sancti Emmerami. Testes: Fridericus comes de Hohenburch, Oulricus, Ernest, Wicpoto ministeriales ipsius comitis de Hohenburch, Wicnandus de Haselbach, Hartuuicus, et Udalricus frater ejus de porta, Pernolt et frater ejus Heinricus de Tuncilingin.

21.) 1210. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 299. et historia mea Comitum de Hohenburg I. 83.

Compositio Machtildis comitissae de Hohenburg cum Conrado Epo Ratisbonensi super castro Hohenburg in Nordgovia. Testes — — Goezuuinus ad portam, Rubertus judex, Karolus marscalcus, Karolus de Iudenbrukke, Heinricus apud capellam etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

22.) 1210. Ex originali.

Eberhardus abbas ad sanctum Emmeramum quandam aream ab Ulrico scriptore pro 15 lbr. absolvit, et postea illam Abrahamo Iudaeo et consortibus suis cum consensu sui conventus, et Chunradi Epi pro 40 lbr. et pro una domo, quae nonnisi Iudaeis pro annuo censu 1 lbr. denar. Ratisbon. locetur, vendit pro sepultura Iudaeorum tam Ratisponae habitantium, quam Peregrinorum. Testes sunt: Heinricus ad capellam, et frater suus Rudigerus, Rupertus Kargil, Karolus Kargil, Chunradus Grans, Albertus de Tiginge, Wilhelmus super danubio, Gozuuinus ad portam, Wilhelmus et Palduuinus fratres ante urbem, Gozuuinus bi der Wer etc.

23.) 1219. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 324.

Rex Fridericus II. Conrado Epo Ratisbonensi omnia jura Ratisbonae et in dominiis confirmat, praesertim coquendi salis, et fodiendorum metallorum. Testes sunt — — Goezuuinus apud portam, Chunradus de Schrotshoven, Henricus de Eberspiunte, Rudigerus thelonearius, Liupoldus Pragaer, Balduuinus ante urbem, et alii quam plures.

24.) 1220. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 328.

Locatio vitalitia bonorum apud Wisendorf facta Habordo de Aeutingen. Testes — — Henricus de capella, Gozuuinus de porta, Liupoldus Pragarius etc.

25.) 1221. Mon. boic. XV. 181.

Conradus Epus Ratisbon. decidit litem inter abbatem Prülensem, et plebanum in Perkam ob capellam sancti Viti, ejusque oblationes ortam. Testes sunt — — Gozuuinus de Purgtor, Leupoldus Pragaer, Eberhardus in Haida etc.

26.) 1221. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 335.

Promissum Ekeberti de Eckmül advocati Capituli cathedr. Ratisbon. quod in posterum bona et homines capituli non molestabit. Testes sunt — — Gozuuinus de porta, dnus Chunradus de Chirchperg, Ulricus Cancellarius etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

27.) 1224. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 339.

Donatio castrorum conditionate facta a Ludovico Duce Bavariae ad Ecclesiam Ratisbon. Testes — — Gozuuinus apud portam Ratisbonen. Reimarus de Prennenberch, Hermanus de Lihtenberg etc.

28.) 1225. Idem Codex, I. 344.

Concessio vitalitia hubae in Weichs facta Conrado de Weichs per Epum Ratisbon. Testes sunt Goezuuinus apud portam, Heinricus inter latinos, Heinricus Sinwel, Goezuuinus bi der Wer etc.

29.) 1226. Idem Codex, I. 345.

Conradus Epus Ratisbon. concedit monasteriis inferiori et superiori bona sua in Haselbach, et Ecclesiae sancti Pauli partem curiae in Sünching. Testes — — dnus Chunradus de Hohenvels, dnus Gozuuinus juxta portam, Reimarus de Prennberc dapifer, Hainricus inter latinos et alii quam plures.

30.) 1226. Idem Codex, I. 346.

Ordinatio Conradi Epi Ratisbon. de dominio super hospitale S. Joannis, seu S. Catharinae trans pontem Ratisbon. Testes — — Gozuuinus juxta portam, et Wernto filius suus, Otto de Cheveringe, Luitpoldus Pragaer, Gozuuinus bi der Were etc.

31.) 1227. Ex Originali.

Lodeuuicus dei gra Comes Palat. Rheni et Dux Bawarie. Innotescere volumus universitati fidelium, quod cum dna Richza superioris Monasterii sancte Marie in abbatissam confirmata fratribus de Gebelchoven Chunrado et Heinrico hucusque negasset concedere beneficium patris eorum, sicut et ejus predecessor dna Mathildis bone memorie abbatissa, eoquod non essent filii Ecclesie sue, ad quos ejusdem beneficii successio tali de ratione aliquatenus pertinet, tandem devicta precibus nostris dictum beneficium adjecta conditione certa eisdem fratribus concessit ambobus, hac scilicet, quod Heinricus frater junior prefatus fidem coram nobis juravit, quod a proximo festo sancti Michahelis infra annum unam de filiabus Ecclesie superioris monasterii juxta consilium ipsius abbatisse, necnon

parentum *) suorum Heinrici inter latinos, Gozuuini de porta, Ortliebi de Heida, Heinrici ipsius Ecclesie prepositi ducat uxorem; quod si non fecerit, ea ipsa de causa memoratum beneficium Ecclesie vacabit: quam si in eadem Ecclesia non invenerit, cui congrue possit in matrimonio copulari, unam eidem promisimus de ministerialibus nostris copulare, et Ecclesie superioris monasterii hanc eandem dare. Quod si neglectum fuerit, beneficium antedictum hoc ipso neglectu Ecclesie vacabit. Si vero uxor illa mortua fuerit, aliam de filiabus Ecclesie supradicte copulabit; quod si nec illud fiet, prememoratum beneficium Ecclesie libere vacabit. Testes sunt Comes palatinus Rapoto, comes Heinricus, frater ejus Meinhardus comes de Rotenekke, Kalhohus comes de Kirchperc, Heinricus de Staercholteshoven, Liutoldus von der Owe, Heinricus inter latinos, Gozuuinus de porta, Ekebertus inter latinos, Ortliebus de Heida, Otto de Cheveringe etc.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini 1227 Indict. XV.

Sigilla Ducis et abbatissae sunt avulsa.

32.) 1229. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 361.

Heinrici de Eberspeunt obligatio circa bona in Wisendorf, ipsi ad dies vitae concessa. Testes — — dnus Chunradus de Hohenvels, Gozuuinus de porta, Chunradus de Schrotshoven etc.

33.) 1229. Idem Codex, I. 357.

Assumptio fratrum praedicatorum in civitatem Ratisbon. per Sifridum Epum Ratisbon. Testes — — Goezuuinus apud portam, Berhtoldus de Oberdorf, Kalhohus de curia etc. Canonici Ecclesie majoris.

34.) Circa annum 1229. Idem Codex, I. 363.

Statutum capituli cathedr. Ratisbon. de administratione praebendarum praeposito ablata, et capitulo attributa.

Ego Gozuuinus de porta Can. majoris Ecclie subscripsi.

---

*) Vormünder, vielmehr Verwandte.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

35.) 1233. Idem Codex, I. 373.

Sifridus Epus Ratisbon. monialibus ad sanctam crucem donationem a civibus Ratisbon. factam confirmat. Acta sunt hec presentibus melioribus tam militibus, quam civibus Ratisponensibus, et precipue Gozuuino milite de porta, Heinrico milite inter latinos, Baldeuuino milite ante urbem, Balduuino Tülsone, Luithardo cive in curia, et multis aliis.

36.) 1234. Idem Codex, I. 376.

Sifridus Epus Ratisbon. et Conradus comes de Wasserburg ad mutuum auxilium confoederantur, comitique tuenda dantur castra Engelsberg, Alt- et Neubayren, Hohenburg ad Oenum, atque Königswart. Testes sunt — — Gozuuinus de porta, Perhtoldus de Oberendorf, Chalhohus de curia Canonici Ratisbon. Laici vero: Reimarus de Brennenberch, Gozuuinus de porta, Ortliebus in Heida, Liupoldus Pragarius, Chunradus de Wichse, Gozuuinus apud Were, Hainricus prepositus de superiori monasterio, Palduuinus ante urbem etc.

37.) 1235. Idem Codex, I. 378.

Sifridi Epi Ratisbon. arbitramentum inter coenobium Prülense, et Goezuuinum de Eckmül circa praedium in Thalmassing. Testes laici: Goezuuinus aput portam, Liupoldus cognomine Pragaer, Heinricus inter latinos, et alii quam plnres.

38.) 1237. Idem Codex, I. 381.

Compositio facta inter Sifridum Epum Ratisbon. et Ottonem Ducem Bavariae. Sunt autem testes: — — Sifridus de Vrowenhofen, Ortliebus in Heida, Gotfridus de Griezbach, Arnoldus de Schönvelt, Gozuuinus apud portam, Chunradus de Wihse et alii quam plures.

39.) 1238. Idem Codex, I. 383.

Sifridi Epi Ratisbon. privilegium datum monasterio sancti Jacobi Ratisbonae super fundo juxta turrim caesaris. Testes laici: Goezuuinus de porta, Ortliebus in Heida, Chunradus de Wihse, Balduuinus ante urbem, Heinricus Zannaer, Gözuuinus bei der Wer et filius suus Gözuuinus, Heinricus de Aw prepositus superioris monaserii, Ekebertus inter latinos etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

40.) 1238. Idem Codex, I. 384.

Traditio praedii in Salhaupt ad coenobium in Prül facta a Reimaro de Prennberg. Testes sunt: Eberhardus major prepositus, Dietricus de Schönenvelt, Ulricus prepositus sci Johannis dictus de Dornberc, Goezuuinus de porta Ratisponenses Canonici.

41.) 1240. Idem Codex, I. 387.

Reversales Friderici de Perge super castro in Zeitzkofen, feodo Epi Ratisbon. Testes sunt — Heinricus de Lerchenvelt, Berhtoldus de Oberndorf, Gozuuinus apud portam, Ulricus de Dornberc etc. Canonici Ratisbon.

42.) 1241. Ex originali.

Procuratores hospitalis S. Catharinae trans pontem Ratisbon. de consensu Epi Sifridi dederunt monasterio S. Magni redditus ad 3 lbr. annuatim, et hoc dedit hospitali fundum, in quo situm est, a ponte sursum usque ad finem canalis sive aquaeductus superioris et longioris, et a latere ab eodem canali usque in danubium, et areas infra territorium hospitalis cum muris per circuitum occupatas cum omni jure proprietatis. Testes laici: Goezuuinus ad portam, Chunradus Razel, Otto de Wittenberch, Rapoto scultetus, Gerhardus inter rasores, Heinricus Kazbecke, Heinricus et Chunradus fratres dicti Osterman.

43.) 1242. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 399.

Sifridus Epus Ratisbon. iterato confirmat Parthenoni sanctae crucis parochiam Schwarzhofen. Testes sunt: — — Wernhardus de Gebelchoven, Heinricus Semannus, Perhtoldus de Oberndorf, Gozuuinus de porta etc. Canonici Ecclesie Kathedralis Ratispon.

44.) 1243. Idem Codex, I. 402. respeective historia Comitum de Hohenburg, I. 90.

Diepoldus marchio de Hohenburg confirmat contractum fratris sui marchionis Berhtoldi, et donat Ecclesiae Ratisbonensi castrum Rorbach, simulque renunciat juri patronatus ad parochiam Adertshausen. Testes — — Gozuuinus de porta, Alhardus de Hütte, Ulricus de Dornberch etc. Canonici Ratispon.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

45.) 1245. Idem Codex, I. 405.

Statutum Sifridi Epi Ratisbon. quod advocatia Ecclesiae suae non amplius in feudum detur, sed remaneat mensae Epli, presentibus his testibus Heinrico decano, Heinrico Semanno archidiacono, Perhtoldo de Oberndorf, Goezuuino de porta etc. Canonicis Ratispon.

49.) 1247. Idem Codex, I. 414.

Albertus Epus Ratisbon. confirmat Parthenoni sanctae crucis parochiam Schwarzhofen. Testes: Eberhardus major prepositus, Heinricus decanus, Heinricus Semannus, Berhtoldus de Oberndorf, Gozuuinus de porta etc. Canonici Ratispon.

47.) 1251. Ex originali.

Ego Heinricus de Randeke — cogitavi per scriptum presens commendare memorie presencium et noticie futurorum, quod allodium meum liberum ab omni advocacia et debito servitutis, quod alicui preter me deberet, omne inquam predium, quod habui in villis Geggelbach et Puhpach, in agris et silvis, pratis et pascuis, piscariis et venacionibus, et aliis attinenciis quibuscunque per manum legatoris, nobilis viri Ottonis de Abensperch vendidi domui et pauperibus hospitalis beate Catherine in pede pontis Ratispone pro 230 lbr. denariorum. Testes sunt: Otto et Ulricus fratres, nobiles viri de Abensperch — — Heinricus Owaer, Gotefridus de Griezenpach, Alhardus dulcis, Heinricus Gemelingaer, Liupoldus Pragaer — Heinricus de porta, Goezuuinus de Pherin, Merboto cognomine Strutio et alii quam plures. Datum Randeke VII. Idus Septembris, Indict. VIII.

48.) 1252. Ex originali.

Ego Ortlibus de Haida notum facio omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris, quod ego curiam meam in Denchlinge a dno Gozuuino de porta socero meo mihi et uxori mee Chunegunde fllie sue traditam, hospitali sancte Catherine trans pontem Ratisponensem manu dni Paldeuuini ante urbem ejusdem curie delegatoris tradidi post mortem meam, hac tamen condicione adjecta, quod ego vivens liberum habeo arbitrium, cum eadem curia, quidquid mihi placuerit, faciendi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Si autem sine testamento decessero, jam dictum hospitale predicte curie in Denchlinge cum omnibus attinentibus eidem curie, cultis et incultis libera et quieta possessione me volente et consentiente perpetualiter perfruetur, sicut disposui presentibus testibus subnotatis, et sunt hii: Fridericus super danubio, magister civium Ratisponensium, Heinricus inter latinos, Otto Pragarius, Chunradus de Wihs, Heinricus der Tannaer, Heinricus ante urbem, Heinricus der Owaer, — Liupoldus Pragaer, Otto Veslarius, Karulus Owaer, Dietricus der Owaer, Marquardus frater ejus, Fridericus filius Utonis in foro etc. Acta sunt hec anno incarnacionis Domini 1252.

49.) 1265. 15. Augusti. Ex originali.

Albertus de Purgtor magister civium, universitasque civium Civitatis Ratisponen. omnibus presens scriptum inspecturis salutem. Noverint omnes presens scriptum intuentes, quod nos consensu communi vendidimus pure ac simpliciter Conventui sce crucis sororum Ordinis sci Augustini Ratispone predium nostrum in Hoefling cum omnibus attinentiis, quesitis et inquirendis pro 140 lbr. Ratispon. tradentes, ipsis sororibus mediante dno Leituuino, et fratre suo dno Rudgero aput capellam, qui predictum predium nobis prius vendiderant, per manum dni Heinrici de Purgtor, ejusdem predii veri Salmanni predium antedictum perpetuis temporibus pleno jure possidendum. Et ut hujus venditionis actus perpetuo posteris clarescat, presentes litteras eis dedimus Sigillo Civitatis Ratispon. roboratas. Acta sunt hec anno Domini 1265. in assumptione B. V. M.

Sigillum civium S. Petrum cum turribus repraesentans illaesum adpendet.

50.) 1265. 19. Octobris. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 482.

Traditio variorum praediorum facta hospitali S. Catharinae a Chunrado Viceplebano in Nittenau. Testes: dnus Hainricus prepositus majoris Ecclesie, dnus Alhardus decanus, magister Ulricus de Hachilstat, dnus Ulricus de Gamersheim, dnus Ulricus de Aw Canonici Ratispon.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

51.) 1265. Ex originali.

Fridericus dei gra abbas Ecclesie sci Emmerami Ratispon. volumus ad cunctorum noticiam prevenire, quod cum tres aree nostre domus quondam Karoli thelonearii versus fratrum predicatorum Ecclesiam subjacentes longo fuissent tempore violenter a diversis in nostrum prejudicium detente sine censu, tandem domum dictam emens Wolfgangus de Schirlinge memoratas areas nostras se putabat unacum domo libere coemisse. Cum nos injuriam Ecclesie nostre in hac parte prosecuti, dictum Wolfgangum in causa super earundem jure arearum traxissemus, tandem mediantibus inter nos et ipsum Wolfgangum viris discretis dictarum proprietatem arearum obtinuimus . . . Testes — — Fridericus Hansgravius, Heimo inter latinos, Alhardus de lata platea, Albertus miles magister civium, Heinricus frater ejus. Acta sunt hec anno Domini 1265.

52.) 1267. 29. Jun. Citatus Codex Epatus Ratishon. I. 497.

Permutatio duarum curiarum in Haselbach cum aliis curiis Conrado de Hohenvels attinentibus. Testes sunt hii: — — Palduuinus de Paerbing, Ulricus de Stouf, Gebhardus de Zeizehoven, — Palduuinus de Paerbing junior, Heinricus super danubium, Ulricus de Upfchoven, Albertus de Owe etc. Actum Ratispone ante altare beati Petri, anno Domini 1267. III. Kal. Julii.

53.) 1267. 26. Julii. Ex originali.

Nos Albertus magister civium, consilium et universitas civitatis Ratisponen. moti misericordie visceribus et pietatis super dilectos nobis filios fratres heremitas ordinis beati Augustini nobiscum sub extrema paupertate patienter in adversis tolerandis et laudabiliter commorantes, capellam Domini nri in ponte sitam Iudeorum — — ipsis contulimus. Testes sunt dnus Albertus de porta magister civium, Hainricus de capella, Hainricus et Karolus fratres de Owe milites, Hainricus de porta, Ulricus de Prunnelaite etc. Datum Ratispone anno Domini 1267. VII. Kal. Augusti.

54.) 1268. 7. Maii. Citat. Cod. Epatus Ratispon. I. 503.

Fidejussio pro Alhardo de Saulburg, Ducem Bavariae et Epum Ratisbon. molestante: inter fidejussores occurrit Dietericus de Awe.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

55.) 1269. Cit. Cod. Epatus Ratispon. I. 510.

Conrads von Hohenvels Vertrag mit dem Bischofe Leo zu Regensburg, zugleich dessen Urphede. Zeugen waren — — Chunrad von Erenvels, Palduuin xon Pärbing, Ulrich Pünnchofer, Sighart von Eglofsheim, Rudger von Isningen, Dietrich von Owe, Heinrich von Saler etc.

56.) 1269. Hrn Gemeiners Regensburger Chronik, I. 398.

Heinrich der Bürgermeister zu Regensburg, genannt von Owe, der Rath und die Gemeine der Bürger daselbst machen verschiedene Satzungen. Das ist geschehen vor der Gemein und mit der Gemein uf der Purger Huse anno Domini 1269 Idibus Septembris.

57.) 1270. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 519.

Leo Epus Ratisbon. confirmat fratribus ord. S. Augustini emtionem venditionem cum Rorensibus initam. Testes: Palduuinus de Paerwinge, Ditricus de Awe, Karolus de Awe, — Karolus Pragarius, Chunradus filius Gumperti, Heinricus filius Awarii quondam magistri civium etc. Actum Ratispone apud consecratum Petrum anno 1270. IV. Kal. Maii.

58.) 1272. Cit. Codex Epatus Ratispon. I. 526.

Leonis Epi Ratisbon. decisio circa domum ad S. Albanum Ratisbonae. Testes — — Hugo miles inter latinos, Albertus de Owe, Chunradus super danubio etc.

59.) 1272. Ex originali.

Haimo dei gra abbas sci Emmerami Ratispone universis hanc litteram inspecturis — scire damus, quod cum inter nos et Ecclesiam nostram ex una, et Ulricum ante urbem civem Ratisponensem, necnon Chunradum de Schirling ex parte altera super quibusdam possessionibus, videlicet curia in Geberching, et novem vineis, que vulgariter dicuntur Neunling, quas videlicet possessiones fatebantur se titulo obligaticnis pro 130 lbr. denar. ratispon. ex parte Ulrici quondam Iudei et Karoli filii sui ab Ecclesia possidere, questio verteretur tempore satis longo, tandem interponente se, qui facit utraque unum, Deo pacis auctore, accedente etiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

totius Conventus nri consensu, predicta questio ad arbitrium virorum discretorum, videlicet dni Hainrici de Awe, Hainrici dicti chlafschink, Friderici Veslarii, et Bertholdi de Schirling extitit ex parte nostra, et predictorum Ulrici et Chunradi rationabiliter compromissa, ita tamen, si predicti arbitri eandem questionem decidere non valerent, auctoritate et voluntate dni Ottonis de Straubing ipsa questio integraliter deleretur: qui sic hmoi arbitramentum promulgavit et proposuit voce viva, quod dnus abbas dare et exsolvere tenetur in festo purificationis proxime nunc venturo memoratis Ulrico et Chunrado 75 lbr. denar. ratispon. monete: renuntiabant etiam sepedicti Chunradus et Ulricus omni actioni, seu impeticioni, que ipsis competere potuit et debuit in possessionibus antedictis. — — Et ut hmoi ordinatio rata permaneat et inconvulsa, presentem litteram inde conscribi et Sigillorum dni abbatis, Ottonis de Strubing, Hainrici de Awe, et Friderici Veslarii placuit munimine roborari. Datum Ratispone in domo dni abbatis 1272. X. Kal. Februarii,. Testes sunt ex laicis: Otto de Straubing, Hainricus de Awe, Ditricus de Awe, Karolus de Awe, Heinricus Klafschink etc.

60.) 1273. Ex originali.

Heymo dei gra abbas totusque Conventus ordinis sci Benedicti ad scum Emmeramum Ratispone patere volumus universis per presentes, quod de consensu reverendi patris et domini nostri Leonis Ratispon. Epi imminentibus nobis gravibus defectibus eorum, que ad victum, et cultum vinearum nobis erant necessaria, quorundam quoque debitorum necessitate nos urgente quasdam areas plures, in quibus vetus oratorium fratrum ordinis predicatorum Ratispone morantium est constructum, de quibus omnibus ½ lbr. denar. Ratispon. monete librario nostro, et tres areas, in quibus novum fratrum eorundem monasterium est inceptum, de quibus eidem librario nostro 45 denarii, et cantori nostro 15. pro censu annuo debebantur, aliam quoque aream retro domum predictorum fratrum, in qua quondam habitabat Conradus dictus Niger, de qua 21. denarii cellario nostro, duas etiam areas a latere ejusdem aree a parte meridionali protensas usque ad curiam sci Egidii, et usque in vicum, qui est juxta veterem murum civitatis, de quarum una, que scilicet immediate conjuncta est domui dicti Conradi Nigri, 32. denarii prefato cellario nostro, de altera vero, que remotior est, in qua nunc pomerium est plan-

tatum, 31 denarii camerario nostro annis singulis solvebantur, Ecclesie nostre jure proprietatis attinentes, 1 lbr. et 24 denarios in summa pro censu annuo nostro Conventui persolventes, vendidimus pure ac simpliciter — fratri Hugoni Priori, et Conventui dictorum fratrum ord. predicatorum domus Ratispon. ad scum Blasium pro 22 lbr. denar. Ratispon. monete. Testes sunt: — — Heinricus miles de Owe, Dietricus miles frater ejus, Fridericus Veslarius, Ulricus frater dni abbatis cives Ratisponenses. Datum anno Domini 1273. Idibus Aprilis.

61.) 1274. 6. Jan. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 530.

Transactio Leonis Epi Ratisbon. cum haeredibus Pertholdi Memchovarii ob curiam in Waibling ipsi impignoratam. Testes — — Albertus de Sarching, Hermannus de Wisent, Palduuinus junior de Paerbing, Albertus de Awe, Fridericus dictus Pochstech et alii quam plures. Actum et datum Ratispone 1274. VIII. Idus Januarii.

62.) 1277. Ex originali.

Nos Jutta priorissa, totusque conventus domus sce crucis ordinis sci Augustini secundum instituciones fratrum predicatorum Domino famulantes Ratispone omnibus presens scriptum intuentibus salutem in domino Ihu. Noverint omnes presens scriptum intuentes, quod cum dnus Ulricus de Samtingen dictus Schmalz de consensu uxoris sue Haeduuigis predii sui proprietatem in Saemtinge integraliter cum omnibus attinenciis, quesitis et inquirendis, retentis sibi ex pacto ejusdem predii fructibus omnibus pro tempore vite sue et uxoris predicte, percipiendis a nobis 10 lbr. Ratispon. nomine precii per manus dni Ulrici de Punchoven ejusdem predii veri Salmanni cenobio sce crucis tradidisset, nos promissimus et solvere tenemur singulis annis in festo sci Michahelis predicto Ulrico et Haeduuigi uxori sue, quamdiu vixerint, de granario nostro in civitate Ratisponensi in omnem eventum sex scaffas siliginis, duas tritici, unam scaffam ordei, et unam scaffam avene... Testes sunt: dnus Heinricus Awarius, Dietricus frater suus, dnus Hugo de Leonekke, dnus Rudigerus de Wincer, Ulricus frater suus etc. Datum Ratispone 1277. III. Kal. Junii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

63.) 1278. Cit. Codex Epatus Ratispon. I. 551.

Henricus Epus Ratisbon. fratribus ord. S. Augustini Ratisbonae octo areas concedit. Testes sunt hii: — — Chunradus notarius, Heinricus et Dietricus milites dicti de Owe, Chunradus dictus Muschopf, Ulricus Setzer et alii quam plures. Acta sunt hec Ratispone 1278. Nonas Maii.

64.) 1279. 9. Aug. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 558.

Donatio juris patronatus Ecclesiae in Gankofen facta per Wernhardum comitem de Leonsberg, unacum compensatione Epo Ratisbonensi praestita. Testes sunt isti: — — noblis vir Albertus de Hals, Chunradus de Ernvels, Ulricus miles de Pünnchoven, Heinricus, Ditricus et Karolus de Awe milites, et alii quam plures. Acta sunt hec Ratispone apud Ecclesiam cathedralem 1279. in vigilia beati Laurentii martyris.

65.) 1279. 21. Aug. Idem Codex. I. 560.

Nos Ludovicus dei gra Comes palat. Rheni, Dux Bavariae universorum noticie presentibus declaramus, quod cum in solutione castri in Rotenecke non possemus Reverendo in Christo patri et domino nostro Henrico Ratisponensi Epo satisfacere in pecunia numerata, videlicet in 150 lbr. denar. Ratispon. officia nostra Ratispone, videlicet judicium pacis, camere et sculteti eidem dno Epo sub hoc discretionis moderamine obligavimus, quod eadem officia Heinrico, Ditrico et Karolo fratribus de Owe, Karolo Pragario, Heinrico Dulci, et Chunrado Gumperti commisimus usque ad festum apostolorum Philippi et Jacobi proxime venturum suo nomine conservanda, ita, quod pro supra dicta summa 150 lbr. ex tunc eadem absolvere debeamus . . . Datum Ratispone 1279. XII. Kal. Septembris.

66.) 1279. 29. Sept. Ex originali.

Nos Haedunigis dei gra abbatissa, et Conventus dominarum inferioris Monasterii Ratispone universis presentes litteras inspecturis volumus esse notum, quod cum ex multis et diversis causis, et specialiter propter solucionem decime in terre sancte subsidium deputate essemus multiplicibus debitorum oneribus pregravate, a quibus non possemus de facili abs-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que usurarum incommodo relevari, tandem de communi et unanimi voluntate dilectis et familiaribus nostris Berhtoldo dicto Laeubler et Mechtildi uxori sue vendidimus pro 38 lbr. ratispon. solutis nobis ad manus fructus seu proventus duarum prebendarum percipiendos pro tempore vite ipsorum sine qualibet diminucione . . . Testes sunt hii: Gundakarus nostre Ecclesie plebanus, Rudgerus miles de capella Ecclesie nostre prepositus, Karolus dictus Pragaer, Dietricus miles dictus de Owe, Bernoldus Nötzel, Albertus magister curie, Rudigerus cellerarius, Chunradus pistor et alii quam plures fide digni. Acta sunt hec Ratispone 1279. die Michahelis archangeli.

Hundii bair. Stammbuch I. 171.

Henricus, Dietricus et Karolus de Aw fratres.

67.) 1280. 18. Febr. Cit. Codex Epatus Ratispon. I. 565.

Emptio advocatiarum in Weltenburg, Gecking et Staubing per Henricum Epum Ratisbon. Si solutio venditori Wernhero de Preiteneckke praestita non fuerit, Heinricus et Ditricus fratres dicti de Awe, et Ekkepertus dictus Drauhpech in dampnum dicti Epi se recipient Ratisponam in obstagium . . . Datum Ratisbonae 1280. XII. Kal. Martii.

68.) 1280. 28. Jun. Idem Codex, I. 568.

Henrici Epi Ratisbon. variae donationes factae confraternitati S. Wolfgangi. Testes sunt — — Chunradus de Ernvels, Dietricus de Owe, Hugo inter latinos ministeriales et milites Ecclesie Ratispon. cum aliis pluribus fide dignis. Datum Ratispone 1280. IV. Kal. Julii.

69.) 1283. 15. Martii. Ex originali.

Nos Heinricus dei gra Ratisponensis Epus universis presentes litteras inspecturis volumus esse notum, quod Rudigerus dictus Wintzraer quoddam predium suum, videlicet curiam in Isning sitam cum omnibus juribus suis et pertinenciis, cultis et incultis, quesitis et inquirendis Conventui sororum Ecclesie sce Marie Magdalene Ratispone in colle frugum pro quadam summa pecunie a Priorissa tunc ibidem recepta in pecunia numerata vendidit, tradidit, et donavit jure proprietatis perpetuo possidendam, de nostro scitu et consilio speciali eadem curiam per manus Salmanni,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videlicet Leupoldi dicti Igel, civis Ratisponen. predicto Conventui nichilominus resignando. Renunciavit insuper predictus Rudigerus et Bertha uxor sua, necnon filii eorundem Palduuinus et Wernherus libere et precise omni juri, quod eisdem in supradictam curiam ex proprietate vel jure hereditario, vel quocunque alio titulo competebat, testibus nichilominus subnotatis, et sunt hii: Heinricus de Awe dictus de Owe, Karulus de Owe, Leupoldus Hericius, Rudigerus Weimptingerius, Balduuinus in foro, Heinricus Setzarius, Ernsto dictus Noetzel, et Sifridus filius ejusdem, et alii quam plures fide digni. Datum Ratispone 1283. Idibus Marcii.

70.) 1283. 15. Julii. Cit. Codex Epatus Ratisbon. I. 589.

Henricus Epus Ratisbon. hortum quendam ante portam orientalem Ratispone situm et sibi feodalem, solventem annis singulis 1 lbr. (quem magistri fraternitatis emerunt ab Heinrico Purgtoraerio et Gebolfo de Metenbach, et quem hortum predicti Henricus et Gebolfus Epo resignarunt,) tradidit dictis fraternitatibus jure proprietatis perpetuo possidendum. Datum Ratispone 1283. Idus Julii.

71.) 1286. 23. Martii. Ex originali.

Nos Heinricus dei gra Ratispon. Epus universis presentes litteras inspecturis volumus esse notum, quod cum dilectus fidelis noster, honorabilis Heinricus dictus de Purgtor, pressus gravi indigentia non posset subter fugere, quin subscriptas areas, que nobis et Ecclesie Ratisponensi proprietatis titulo attinebant, et quas idem Heinricus ab eadem Ecclesia nostra jure feudi tenuit ab antiquo, solventes 1 lbr. Ratispon. minus decem denariis annuatim, venditioni exponere oporteret, in recompensationem proprietatis dictarum arearum, que, ut premissum est, nobis et Ecclie nre competunt, quarum arearum una adjacet stupe balnearii solvens 62 denarios, alie vero due juxta scum Leonardum, quarum una solvit 17 denarios, et alia 11. quos abinde solvere tenentur dicti Raeuzingerii. Idem unus hortus ante suburbium orientis solvens ½ lbr. denar. et alter hortus in Winzer, solvens 20 denar. accepta de consensu nri capituli per modum permutationis ab ipso Heinrico proprietate vinee in Prüfleinspeunt, quam postmodum a nobis recepit in feudo, dictas areas 17 lbr. denar. emimus ab eodem, et eas accedente totius capituli licentia et favore in reme-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dium anime nre Ecclesie sci Pauli Ratispone assignavimus, donavimus et tradidimus, ipsasque in jus et proprietatem perpetuam ipsius Monasterii transtulimus in hunc modum, quod abbatissa et conventus ibidem pro tempore existentes festum beati Augustini in summis cum pulsatione terroris, et historiâ propriâ, necnon anniversarium nostrum cum vigiliis et officio defunctorum cum ministris debeant annis singulis in perpetuum celebare . . . Testes sunt — — Conradus de Ernvels, Ulricus de Pünchoven, Hugo inter latinos, Dietricus de Owe milites, Hermannus de Lichtenberg magister civium, Heinricus junior de Ernvels, Gozuuinus Wallaer, Wirnto propositus, et Otto magister curie sci Pauli. Datum Ratispone, et actum 1286. X. Kal. Aprilis.

72.) 1288. 28. April. Mon. Boic. XI. 364.

Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod ego Ditericus prepositus dictus de Aw concessi ad resignationem dne Geisele filie Hornelarii, et proborum hominum peticionem Perhtoldo de Strubinga, qui nunc ipsam Geiselam duxisse dinoscitur in uxorem, et Heinrico avunculo suo, dicto Strubingaer, aream quamdam sub domo, que fuit quondam Fraemelini in Haida sitam, quam utique ego possideo ab abbate de Metem et ejus Conventu jure precario, ad ipsorum duorum vitam pacifice possidendam sub hac forma, quatenus memorate due persone Perhtoldus scilicet et Heinricus mihi singulis annis in vigilia vel in die beati Emmerami pro censu de ipsa area 14 solidos denar. Ratispon. minus decem denariis sub jure civili persolvere non omittant . . . Testes sunt: Karolus de Aw miles, Rugerus ante suburbium et Henricus filius suus, Heinricus, Hermannus fratres ipsius Rugeri etc. Actum anno Domini 1288. IV. Kal. Maii.

73.) 1288. 10. Augusti. Ex originali.

Notum sit, quod cum ego Rudgerus de Aetelbrunne civis Ratispon. emissem pro 80 lbr. denar. Ratispon. predium, hoc est curiam in Lauterchoven prope Reut sitam, solventem annuatim siliginis 10. scaffas, avene 5 scaffas, 11 solidos denar. Ratispon. caseos 20. anseres 5. pullos 10. et duos centenarios ovorum, dedi pure deputavique nomine testamenti eandem curiam hospitali sancte Katherine in pede pontis Ratispon. cum omnibus suis pertinenciis, quesitis et inquirendis post mortem meam et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alhaidis uxoris mee servituram et perpetuo possidendam proprietatis titulo . . . Testes sunt — — dnus Leupoldus dictus Igel, dnus Rudgerus de capella, dnus Karolus de Aw milites, Fridericus Veselarius, Hertuuicus Weimptingarius, Fridericus Neunburgarius etc. Actum 1288. in die beati Laurentii martyris et levite.

74.) 1288. 24. Aug. Cit. Codex Epatus Ratispon. I. 629.

Vertrag Fridrichs von Perg mit dem Bischofe von Regensburg. Bey der Verrichtigung sind gewesen hr. Ulrich der Tumprobst, hr. Chunrat der Tumtechent, hr. Albrecht der Viztum ze Regenspurch, hr. Habort von Sünching, hr. Dietrich von Owe, und ander piderb Läut. Actum 1288. an sant Bartholomeus Tag.

75.) 1288. 10. Nov. Idem Codex, I. 630.

Arbitramentum circa curiam in Santing. Testes sunt: Ulricus de Abensberch, Ernestus de Trauhbach, Sighardus de Eglofsheim, Ditricus de Aw, Hawordus de Suniching etc. Datum Ratispone 1288. IV. Idus Novembris.

76.) 1289. Ex originali.

Ego Leupoldus dictus Ericius, et uxor mea Elizabet, civis Ratispon. universis, ad quos presens scriptum prevenerit, notum esse cupio, nos nostra voluntate bona, et omnium nostrorum amicorum consensu accedente hospitali scc Katerine in pede pontis Ratispon. vendidisse curiam nostram, seu mansum in Hartingen per manum delegatoris Palduuini de Baerbingen, qui vulgariter dicitur Salman. . . Testes sunt hii: Karolus de Awe miles, Fridericus Vesler, Ulricus Zieher, frater Conradus magister hospitalis, frater Conradus de Nürnberg et alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini 1289.

77.) 1290. 17. Febr. Hrn. Gemeiners Regensburger Chronik. I. 429.

Wir Karel von Awe Meister (magister civium) ze Regenspurch, und di Gemein der Burgär tun chunt allen, di diesen Brief sehen oder hören lesen, daz wir Ortlieben den Setzär, und sinen Chnecht Chunraden der Münzzär Hrn. Albrechts sun ewichlichen verboten haben und

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gescheiden von der Stat ewichlichen. Swer si darüber behaltet, der muz 100 lbr. geben, und hat er der Pfennig nicht, so sol er ewichlich uz der Stat sin etc. Dez haben wir gesworen alle, di an disem Brief hernach geschriben stent: Hr. Ruger bi der Chappel, Fridrich der Veslär, Otto der Wollär, Fridrich der Neumburgär, Ruger von Purch, Gözwein an dem marchte, Greimolt, Chunrad der Daume, Heinrich von Aw, Chunrad der Zant, Fridrich der Weintingär etc. di des Rates sint. Hr Dietrich von Aw der Brobste, Hr Leupolt der Igel — — Fridrich von Aw etc. Daz ist geschehen 1290 dez Freitages nach dem Aschentag.

78.) 1290. 9. April. Ex originali.

Nos frater Chunradus magister hospitalis sce Katerine Ratispone in pede pontis, ac universitas fratrum ejusdem conventualis Ecclesie omnibus presentem paginam inspecturis volumus esse notum, quod, cum domus hospitalis per eleemosinarum auxilia, ac iniquorum hominum suggestione remota arbitretur posse plenius habundari, curiam nostre predicte domui penes predium nostrum super montem in Helchenbach depensatam Otto dictus Goglo de Abach quesitis et inquisitis cum omnibus attinenciis, quibus predicta curia fuerit deputata, sub cauticione fidejussorum omni proprietatis articulo pro 52 lbr. scriptis presentibus profitetur libere vendidisse, necnon Otto predictus Goglo coram Vicedomino de Strubingen, ceterisque personis idoneis sepedictam curiam omni jure, quo sibi, uxori sue, puerisque suis comparata fuerit vel collata, sub manu Perhtoldi videlicet Gebstorfaerii delegatoris, quod vulgaritas Salman non definit appellari, absque omni impugnacionis astucia integriter regsignasse . . . Testes sunt hii: Vicedominus de Strubinga (Albertus), Karulus de Au, Lupoldus Ericius, Henricus dens, Meinhardus de Chelhaim. Datum 1290. in die quasi modo geniti.

79.) 1290. 17. Maii. Ex originali.

Ego Chunradus, nominatus de Chabres profiteor et protestor universis presentibus et futuris presenti scripto, quod pater meus Albertus dictus de Geltolving felicis memorie legavit in extremis suis hospitali beate Katerine Ratispone 24 lbr. denar. et pro iisdem denariis assignavit fratribus ejusdem hospitalis vineam suam sitam an dem Geiersberg trans pontem Ratispon. contiguam et vicinam domui Senftonis quondam ibidem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

commorantis, hoc tamen modo, quod dne matri mee, dicte Salmei redditus ipsius vinee cederent usque ad obitum suum, aut ipsa dna mater mea, seu nos eorum pueri et heredes memoratam redimeremus vineam pro prenotata, quam pater meus dicto legaverat hospitali, pecunia: ego vero dictus jam Chunradus et successor hereditatis patris mei lapso tempore piam hanc patris mei legacionem desiderio concupivi nullo modo pejorare, sed imo in melius permutare, et assignavi sepefatis fratribus dicti hospitalis curiam meam in Wisendorf titulo juste proprietatis eternaliter et pacifice possidendam . . . Quod ut totum sic ratum et firmum permaneat in eternum, hanc presentem litteram duximus ex utraque parte conscribi, et Sigillis patruum meorum, Alberti videlicet Vicedomini de Straubing, et Karoli fratris sui de Rain, et hospitalis, et eciam meo Sigillo placuit roborari. Testes de civibus sunt hii: Carolus magister civium Ratispon. dictus de Aw, Iricus miles et prepositus civitatis, Henricus dens sculteta, Henricus de Strubing monetarius, Chunradus Veslaerius et alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini 1290. XVI. Kal. Junii.

80.) 1290. 8. Augusti. Ex originali.

